



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XII. De antiquitate Ordinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

modò alium ordinem nominasse; eundem autem Clemen-
tem plures ordines agnouisse, perspicuum est ex can. 15. vbi
dicit: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de nume-
ro Clericorum, &c.*

Ad testimonium Ambrosij respondeo, Ambrosium in
comment. cap. 4. ad Ephesios, solùm quinq; ordinum men-
tionem fecisse, quia volebat de ordinibus explicare verba il-
la Pauli; Alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euan-
gelistas, alios Pastores, & Doctores. & quia Paulus solùm
quinque nomina posuit, idcirco conatus est etiam ipse quin-
que ordines numerare: Itaque per Apostolos intellexit Epi-
scopos; per Prophetas Presbyteros; per Euangelistas Diaco-
nos; per Pastores Lectores; per Doctores, vel, vt ipse legit Ma-
gistros, Exorcistas.

Ad testimonium Ignatij & Epiphaniij respondeo, illos
Patres numerasse non solùm ordines propriè dictos, sed et-
iam alios.

Ad testimonia Canonistarum respondeo, illos facere
nouem ordines, quia distinguunt Episcopum à Presbytero,
& Lectorem à Cantore, quod Theologi non faciunt; sed in
re non est dissensio. Theologi enim solùm considerant ordi-
nes, vt se habent ad sacrificium; quomodo (vt diximus) Epi-
scopus & Presbyter; Lector & Cantor non distinguuntur;
Canonistæ autem considerant ordines, vt Hierarchiam cõ-
stituunt, & idcirco rectè distinguunt Episcopum à Presby-
tero. atque hæc de primo.

CAPVT XII.

De antiquitate Ordinum.

I OANNES CALVINVS, de Ordinum, præcipuè
minorum, antiquitate ita loquitur libro 4. In-
stit. cap. 19. §. 27. *Primitiua, inquit, Ecclesie in-
cogniti fuerunt, et multis postea annis excogitati.*
Sed falsam esse hanc Caluini sententiam testantur Cle-
mens, & Ignatius, Apostolorum Discipuli: Vterque enim
eorum ordinum meminit. CLEMENS libro 8. Constit. o-
mnium ferè ordinum etiam minorum ritus declarat. I GNA-
TIUS